

DE
LIBERA MERCATURA,
CAPITA DUO,
QUIBUS DE BILANCIA MERCATORIA,
INTERDICTIS AC PORTORIIS
AGITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS,
QUAM,
PERACTO EXAMINE DIPLOMATICO,
CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
JURISCONSULTORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITTERARUM
DORPATENSIS,
AD GRADUM
DOCTORIS JURIS
LEGITIME OBTINENDUM

CONSCRIPSIT, ET LOCO CONSUETO PUBLICE
DEFENDET

Ignatius de Bogala Iwanowski,
LITHUANUS.



DORPATI LIVONORUM,
TYPIS J. C. SCHUENMANNI, TYPOGRAPHII ACADEMICI.
MDCCXXXIII.

Imprimatur

sub conditione, ut, simulac typis expressa fuerit haec dissertatio,
quinque exemplaria collegio ad libros explorandos constituto
tradantur.

Dorpati Livonorum d. xxx. Decembris MDCCLXXXII,

Dr. E. G. de Broecker,
Ord. Juriscons. Decanus.

4 VIII A.

Tartu Riikliku Ülikooli
Raamatukogu

3120

P R A E F A T I O.

Primo quidem in conscribenda hac dissertatione, id propositum habui, ut omnes modos, quibus, qui regendis et administrandis civitatibus praesint, ad fabricas et mercaturam promovendam usi fuerint, vel nunc ex parte utantur, excuterem ac perscrutarer. Sed fines dissertationis latiores, temporis brevitate constringi, et in minorem modum redigi debuerunt. Qua de causâ, duo tantum capita nunc potissimum elaboranda su-

mere coactus, ne in his quidem, ut par erat enucleandis, operam meam collocare potui; ab his enim recte exponendis temporis angustiis excludebar. Satis igitur habuimus ipsa fundamenta doctrinae delibasse, uberiorum ejus explicationem, exempla, quibus res a nobis expositae fulciantur, tamen ex statistica quam ex historia desumpta, et quae sint hujusmodi alia, apud scriptores, quos et ipsi auctores secuti sumus, laudantes et commonstrantes. Est mihi quidem copia rerum collecta ad reliquam hujus dissertationis partem conficiendam necessariarum, neque, si iis mihi favente Deo futuro tempore uti contingat, olim haec omnia in lucem proferre cunctabor.

In his, quae nunc lecturis obtulimus, et quae adhuc in scriniis nostris recondita latent, Smith, J. B. Say, Storch, Skarbek

et Murhard, summos auctores sequendos esse duximus. Saepe res jam notissimas repetere non recusavi, non ignarus, veritatem nunquam satis inculcari, et hac tantum ratione, veteres in oeconomia politica errores tolli posse, si quid mea post tantos viros opella afferre queat.

Jam vero ne quis horrida aliquando latinitate justo plus offendatur, haec pauca addenda esse putamus. Sane quidem vide-
mūr liberius in vocabulorum singulorum de-
lectu egisse, atque id in lingua vetere lice-
bat: multis hic necessitatem novorum vo-
cabulorum ad res designandas quae antiquis
ignotae fuere, exponere velle, id profecto
foret de hominum judicio desperasse. Ubi-
que autem nova rerum nomina longis atque
elumbibus ambagibus evitare, erat lectoris
patientia abuti: quapropter satius aliquan-

— VI —

do barbara quaedam vocabula inferre rati-
sumus, certe talia, quae jam omnibus
nota sint, quam multis verbis frustra fun-
dendis, vim extenuare, perspicuitati nocere,
ac denique tempus incassum terere.

Scripsi Dorpati Livonorum
d. VI. a. Cal. Decembres MDCCCXXXII.

In silvam non ligna feras,
Horat. Sat. I. 10, 36.

§. 1.

Inter quaestiones politices internae nulla fere est, de qua plures opiniones magisque discrepantes sint, quam, quae sunt sententiae de legibus atque edictis, quae mercaturam respiciunt. Problema hoc maximi momenti ac ponderis, in consiliis regum, in comitiis legum-latorum, pariter atque in modesto doctorum cubiculo ac privatis coetibus jam pridem examinatum est: ejusmodi tamen disputationes ob indolem et naturam rei perverse praveque intellectam, saepenumero in errores insignes tam in theoria quam in praxi plurimos induxerunt. Disciplinas enim politicas externis impedimentis, aequa ac rationibus singulorum hominum, plus quam caeteras doctrinas retineri, per se patet. Hinc in rebus maximi momenti, a quibus prosperitas et beatitudo universorum et singulorum pendent, haud raro mortales a recta via declinaverunt; et si cui unquam felici eventu veritatem invenire successit, is saepissime remedia tunc afferebat, quando jam summis

calamitatibus genus humanum enectum, malorum fere succubuerat ponderi. — „Um die Welt zu belehren wie sie seyn sollte, ait Hegel, (¹) kommt die Philosophie immer zu spät. Als der Gedanke der Welt erscheint sie erst in der Zeit, nachdem die Wirklichkeit ihren Bildungs- Process vollendet, und sich fertig gemacht hat.“ Atqui non solum ista impedimenta externa, rationes et cupiditates singulorum, progressum disciplinarum politicarum cohibent; imo etiam modus ipse ac natura disquisitionum in disciplinis publicis, accuratam earum, et ab omni partium studio alienam tractationem impediunt. Quaestiones enim politicae, minus etiam quam caeterae artes, ex sola philosophia, aut ex sola historia explicari queunt: in continuo autem nexu causarum atque effectorum, in quibus recte explicandis tota ars disquisitionis versatur, dum eadem res tanquam effectus causae antecedentis, et tanquam causa effectus sequentis considerari potest, quis certo affirmare audeat, se ad ultimam alicujus effectus causam pervenisse, aut effectum ad veram ipsius causam retulisse?

§. · 2.

Nil igitur mirum si omni tempore ac loco mercaturae administranda ratio tam diversis ac parum coniunctis fundamentis sit usa. Nil mirum si notiones de natura commercii, ejusque praesertim ad divitias augendas beatitatemque magis propagandam gravitate, sui dissimiles exstiterint. Mercatura in potentissimis antiquis civitatibus justo plus con-

tempta erat, et quamquam ex parte legum liberior forte erat quam hodie, attamen ob eundem contemptum et opiniones praejudicatas quibus afficiebatur, quae etsi non *positive* quod dicunt, tamen *negative* progressum et augmentum ejus impediabant, neque excoli, neque ea incrementa capere poterat, quae ei ad adjuvandam publicam rem merito debentur (²). *Media*, quam dicunt *aetate*, commercium ignorantia, inopia generali, maxime vero parva admodum et hominum et rerum securitate impeditum, mox in paucarum tantum urbium potestatem, quae majorem libertatem nactae erant, fere totum concessit (³). Recentioribus temporibus, sistema sic dictum *mercantile* (*système mercantil*), mercaturam cum exteris unicum fontem divitarum creandarum augendarumque considerabat. Jamque mercatura fit populis invidiae causa, praebetque ansam insidiis, quas nationes sibi invicem struebant, motisque iniciiis incendit bella plurima et atrocissima, quae omnes orbis terrarum partes usque ad exitum fere saeculi XVIII devastant. Profecto, si unquam pugnantes de re divina sententiae, lacrymarum et sanguinis haud parum profundere, invidia certe mercatoria haec omnia longe superavit. Quos qui excepterunt ex schola *doctoris Quesnay*, quamvis nihil valere commercium ad opes augendas arbitrabantur, omnibus tamen industriae partibus plenam libertatem postulantes, ipsa hac re mercaturam vinculis, quibus hucusque constringebatur liberantes, longe plus ad theoriam ejus magis excolendam contulerunt, quam quos *mercantilistas* appellamus, qui om-

nem amorem et studium soli commercio consecrabant. Quorum majorem perfectionem *Adamo illi Smith* debemus (⁴). Deinde inter recentissimos politices atque oeconomiae politicae scriptores, quidam mercaturae libertatem nullis finibus circumscriptam, alii *systema prohibitivum*, sit venia verbis novis, quanquam graeco de fonte non cadunt, (*système prohibitif.*); alii *systema restrictivum* (*système restrictif*) tuiti sunt (⁵). Sed non uti docetur, vulgo agi solet. Ita enim fit, ut in legibus atque edictis, quae mercaturam cum exteris gentibus spectant, *systema partim restrictivum, partim prohibitivum*, ubique fere locorum vigeat.

§. 3.

Sed non solum hoc studium complurium civitatum erat, ut se ab aliis nationibus sejungerent, et quasi muro quodam contra aliarum merces tuerentur; imo plurimae earum ad commercium sibi tantum vindicandum summis conatibus tendebant, omnemque lapidem moverunt, ut gentibus non modo proprii soli propriaeque industriae fructus, sed etiam, quae remotissimarum regionum solum vel industria tulisset, suppeditare et cum lucro vendere possent. Longum per tempus ita creditum est, beatitudinem opesque non aliter parari stabilisque posse, nisi cum damno ac detrimento aliarum gentium; neque aliter in commercio locupletiorem fieri, nisi si perderet alter. Satis est foedera legisse mercaturam spectantia, aut in coloniarum historiam oculos convertisse, ut quamvis sint vera quae diximus, miseri-

mis exemplis probetur. Longum fortasse ac durum mortalibus bellum cum infausto sui amore gerendum est, priusquam sentiendi agendique ratio humanior illa apud universos populos obtinebit, alterius scilicet salutem, opes, beatitudinem, alterius opibus, saluti, beatitudini obstaculo, impedimento non esse.

§. 4.

Quum adeo ita civitatum nonnullae seu vi seu astutia monopolium mercatura sibi adrogarunt, ceterae statim veritae ne quid hinc detrimenti caperent, vel potius per invidiam, aut fructus propriae industriae, etiamsi maximis cum impensis creatos, pro extraneis mercibus sibi suppeditare conabantur, aut omnino ab utendis mercibus non suis sese abstinebant, nil curantes, hoc pacto et necessitatibus satisfieri non posse, et progressum beatitatis suae impediri. Hinc mercatura vinculis artissimis constricta, a naturali via aberravit, atque aut omnino cessavit, aut diminuta est, adeoque factum est, ut commoda illa atque emolumenta non afferret, quae ab ea, si libera esset, expectari poterant (6).

§. 5.

Atqui simplicissima hominum et rerum naturae, et horum omnium quae eorum propria sint, pariter quibus inter se rationibus sint conjunctae, interior cognitio, hanc nobis summam veritatem quam evidenter probare videtur, libertatem tam universae industriae, quam ipsius commercii, firmissimum

esse columen divitiarum ac felicitatis publicae (7). Iamque amplius non valet apud nos, haec toties tantumque ab antiquis philosophis laudata doctrina, hominis felicitatem ac beatitudinem potissimum in minima rerum necessiarum copia esse positam. Mortales enim ad summam perfectionem assequendam, qui ultimus finis eorum est, non solum possunt, sed etiam debent, rerum externarum instituere usum. Ut vero natura singulos homines diversis, si eos cum caeteris hominibus compares, et corporis et ingenii ornavit facultatibus, ita etiam in diversis terrae regionibus, diversas res gigni jussit. Ut igitur singuli homines, ita etiam civitates, non omnes omnibus gaudent, sed ope atque auxilio alieno quam maxime indigent. „Deus non omnia, ait Grotius (8), omnibus terrae partibus concessit, sed per regiones dona sua distribuit, quo homines alii aliorum ope indigentes societatem colerent. Itaque mercatram excitavit, ut quae usquam nata sunt, iis communiter frui omnes possint“. Commune inter populos commercium est profecto sumnum felicitatis tam omnium, quam singulorum augmentum, atque hos praesertim in scientia, artibus, disciplinis, et omni cultus genere eo perfectiores invenies, quo facilioribus ab ipsa natura conjunctionis viis praediti sint. Quum igitur ipsa natura rerum, populos ad colendam illam magnam civitatum societatem, mutuumque auxilium praestandum, communi vinculo conjunctos esse voluerit, quum securitas ac beatitudo tum omnium, tum singulorum, hanc populorum communione maxime postulent, licetne eam mortalibus

rumpere, et felicitatem suam vixdum pullulantem extingueret? Nil tamen desperandum! Veniet certe tempus, quando benevolia ac faventia omnibus oeconomiae politicae placita, per totum orbem terrarum imperium obtinebunt, cunctaque industriae genera, ut communia omnium civitatum commoda stabilientur, compedibus quibus nunc implicita jacent, liberabuntur, novaque incrementa, eaque eo laetiora capient.

§. 6.

His generatim de libertate industriae praemissis, protinus ad quaestionem nostram, cuius uberiorem disquisitionem nobis proposuimus, mercaturam scilicet, accedamus.

§. 7.

Fines, ut ab his initium faciamus, quos assequendos sibi, qui civitatnm imperia tenebant, mercatura hoc non naturali modo administranda proponebant, hi fere fuere: primo accumulatio in civitate auri et argenti, tanquam unicarum divitiarum; dein progressus et incrementum industriae internae, cuius ope liberemur a tributis, quae exteris pro mercibus ab illis emptis praestentur; sperabant denique sese eo modo id consecuturos esse, ut aliarum gentium ope non indigeant; ita enim omnia domi creando, facilime ab omnibus sortis vicissitudinibus tutos se fore arbitrabantur.

§. 8.

Quem ut attingerent scopum, variis temporibus

et locis, variis modis usi sunt: quorum praecipui habebantur a) *bilancia lucrativa in mercatura (balance du commerce)*: quam enim civitas plus mer- cium indigenarum exportet, quam quod ab exteris importet, superamentum hoc exportationis, non nisi auro et argento ab extraneis civitatibus solvi posse; contendebant *mercantilistae*, concludebantque, tanto commodiorem *bilanciam mercatoriam* fore, quanto majus hoc superamentum esset. b) Jam vero interdicebant ne extraneae res fabricatae (*produits manufacturés*) importarentur, aurum vero et argentum, nec non res indigenae crudae (*produits bruts*) exportarentur, ut fabri opificesque indigenae, aemulis extraneis tum in emendis fructibus crudis, tum in rebus opera sua elaboratis vendendis liberati, has quam maximo pretio venderent, illos vero quam vilissimo emerent. Ubi autem non omnino exteris invehere merces negatum erat, ibi praegrandia portoria constituebantur. c) *Tertius modus exhortatio* putabatur, per praemia nec non per restitutionem vec- tigalium, quae domi vel apud exteris pependerint, tam in fructibus crudis importandis, quam in expor- tandis operibus fabricatis; partim ut tali modo offi- cinis domesticis materia cruda et magna in copia et vilissimo pretio procuraretur; partim ut venditio operum, quae in iis perfecta essent, quam maxime augeretur; partim denique, ut civitas materiam crudi- dam fabricando lucrum faceret. Sed non raro acci- dit, ut, quamvis officinae et mercatura cum exteris prea agricultura tanto opere foverentur, tamen non deficerent casus, ubi frumento etiam alieno importan-

do occurseretur, populares autem ad proprium frumentum exportandum excitarentur: quod ibi praesertim locum habere solebat, ubi dominium soli ei civium ordini maxima ex parte erat concessum, qui praecipua in legibus ferendis vi et auctoritate gaudabant. Exemplum hujus rei praebet nobis Britannia. d) Hujus generis etiam sunt *foedera mercaturam respiciens*, quibus externe gentes obligentur, ad nostrarum tantum officinarum opera emenda, et ad fructus suos crudos, qui nostris operis sint necessaria, nobis tantum vendendos: in nostris autem mercibus accipiendis, partem tantum pretii suis mercibus pendere cogebantur, caetera auro vel argento ementes. e) Huc etiam *pertinent societas mercatorum*, quibus saepissime monopolia aliquius mercaturae speciei committuntur. Haec enim opinio praevaluit, nonnulla commercii genera, non nisi junctis sociorum viribus recte exerceri posse. f) Ultimus degique modus erat cum coloniis *mercatura sibi tantum reservata*, ut metropolis, aliis nationibus a commercio exclusis, fructus coloniarum quam vilissimo pretio emere, merces autem suas quam carissimo vendere posset.

§. 9.

Mox etiam ad industriam fabrilem mercaturamque internam promovendam, alia multiplici via processum est; tum enim cogere et reprimere, tum *exhortari* et *excitare* conabantur. Cujusmodi rationes nunc etiam usurpantur. Huc referuntur: *collegia fabrorum (maistrises)*; monopolium opificibus con-

cessum; merces legibus aestimatae, vel summum pretii constitutum, quo non majus esse posset; legibus descriptum salaryum operariorum, et ad opera legibus operarii coacti; leges de collocandis officinis; praecepta ipsam fabricam spectantia; signatae merces; privilegia inventionis (*brevets d'invention*); auxilia pecuniaria; praemia optimarum fabricacionum; emptio mercium ex thesauro publico; fabrorum migratio denegata, pariter atque exportatio machinarum; jus protimiseos; viae legibus praescriptae (quod Germanis *Straffsenzwang* appellatur); distinctio commercii mercatorii et cauponarii; fines ac termini mercaturaे fabrorum impositi, et quae sunt id genus alia (9). Jus littoris, jus *terrae tactae*, jus stapulae, atque jus geranii, jam fere ubicunque locorum in desuetudinem abierunt (10). Jamque mihi de mercatura scripturo, ea quoque silentio praete-reunda non sunt, quae, si constituendae ac regundae civitatis, nec non systematis redditum vectigaliumque rationem spectas, progressum ejus adjuvare aut impedire possint (11).

DE BILANCIA MERCATORIA.

§. 10.

Quanto plus auri et argenti quis possidet, tanto locupletior censetur; quo plures in republica divites cives inveniuntur, eo ditior tota etiam civitas est. Nullum autem industriae genus ad opes singulorum augendas plus confert, quam mercatura cum

exteris; tota igitur civitas etiam per mercaturam, magnas divitias brevissimo tempore ac facilime colligere potest. Quum igitur aurum et argentum unicas divitias constituant, civitates propriis metallis carentes, non aliter aurum et argentum, acquirere possunt, nisi per mercaturam cum extraneis. Fингamus enim duarum civitatum, alteram frumentum suum, vino alterius permutare: permutatio hujusmodi, (propter lucrum cessans), utriusque damnum afferet, quoniam neutri divitias. Sed si civitas frumentum suum alterius auro vel argento permutat, lucrum facit, acquirit enim veras divitias; civitas vero, quae pro frumento aurum vel argentum offert, detrimentum capit, etenim hac permutatione partem divitiarum suarum amittit. Quamobrem, temporis spatio constituto, unaquaeque civitatum eo locuple-
tior fit, quo majorem copiam auri et argenti accu-
mulavit. Ad haec vero accumulanda, magistratus pu-
blicus ante omnia curare debet, ut ex civitate quam plurimum mercium exportetur, quam paucissimae autem merces extraneae importentur: superamen-
tum enim mercium exportatarum, necessario auro
et argento solvitur. Quo autem majus superamen-
tum, eo commodius commercium, eo magis lucrativa
bilancia mercatoria. En expositio *bilanciae*
mercatoriae secundum *mercantilistas* facta (12). Hodie etiamsi aurum et argentum non amplius pro unicis divitiis habentur, attamen secundum vulga-
rem opinionem, primum semper locum in numero opum occupant, atque in praxi *bilancia mercatoria* hucusque ubique sere locorum stricte observatur.

§. 11.

Aurum et argentum duplīci modo considerari possunt: primum, tanquam *metalla*, tanquam *materia cruda*, ex qua diversae res conficiuntur; dein tanquam *pecunia*. Hoc ultimo casu, aurum et argentum duplex iterum mercaturae praestant auxilium, scilicet tanquam *merx generalis*, omnibus permutationibus (*échange*) opitulans, (*marchandise banale*), et tanquam *mensura valoris rerum*, quae eodem loco atque eodem tempore comparantur. Pecunia per se ipsam nulli satisfacit necessitatī, neque ad creationem valoris (*production*), si metallum excipias, servit, sed tantummodo ad alias merces per commutationem parandas, usurpatur. Divitiae igitur tum singulorum tum totius civitatis, non quantitate pretiosorum metallorum, sed copia omnium rerum valore praeditarum constant. Non negamus quidem aurum etiam argentumque valorem habere: id tantum observamus, metalla haec, minimam divitarum partem in quacunque civitate efficere.

§. 12.

Quacunque ex parte pretiosa consideramus metalla, copia eorum, quam civitati possidere licet, strictissime necessitatibus ejusdem civitatis definitur. Usus (*consommation*), quantitatem auri et argenti tanquam metallorum describit; summa vero *capitalium* (*capitaux*), quod vocabulum necessitate coacti retinuimus, quae in *circulatione* (*circulation*) inveniuntur, neque atque celeritas hujus circulationis,

nec non fides mercatoria, (*mutuum, tessera, cambium*), atque *syngraphae publicae*, (*papier-monnaie, effets publics*), constituunt quantitatem eorum tanquam pecuniae. Pretiosa metalla ab aliis mercibus non differunt, eoque praeципue feruntur, ubi maxime desiderentur. Si civitas plus possideret auri et argenti, quam quod et consumptioni et circulationi ejus necessarium esset, *premium obtainens* (*prix courant*) horum metallorum diminueretur, metallaque ad extraneos ahire conarentur. Sin ob penuriam auri et argenti in aliqua civitate, *premium obtainens* eorum augeretur, caeterae civitates ob propria emolumenta, indigenti civitati ea suppeditarent. Tunc vero nulla portoria, nulla interdicta, neque exportando auro et argento, neque importando, ubi sit necessarium, obesse possunt, quippe quae parvo admodum volumine magnum habent valorem. Etenim auctis civitatis opibus ac beatitate publica, metalla pretiosa ad vasa conficienda, et ad alios usus magis exquisitos vocabuntur, eorumque quantitas tanquam materiae crudae hac ex parte augeatur, necesse est: sed ex altera parte, ob eandem beatitudinem, dum et celeritas circulationis, et aliae rationes pecuniam suppeditantes magis magisque excoluntur, quantitas metallorum pretiosorum, tanquam pecuniae, diminuitur potius, quam augetur. Cujus rei Britannia nobis optimum exemplum est. Si unquam fieri posset, ut supervacua pecunia in civitate per interdicta exportationis cogeretur, et si civitas duplum possideret, quam quod ad circulationem ipsius requireretur, necessario ex hac nimia pecuniae accu-

mulatione, *pretium quoque nominale*, (*prix nominal*), omnium rerum pariter in duplum cresceret.

§. 13.

Videmus igitur civitatem, necessarium aurum et argentum, aequa atque alias merces, per mercaturam facillimo negotio sibi comparare posse, si possideret alias res, quibus haec metalla emantur; videmus etiam, civitatem ex auri et argenti exportatione nullum damnum perpeti, si eorum loco alias res adquirat non minoris valoris. Imo eo magis civitas lucratur, quo plures merces extraneas, pro exportatis mercibus suis, importat, etiamsi in numero mercium importatarum, nullum aurum et argentum inveniatur. Idecirco contra mercantilistas recte observat *Say*, sic dictam *bilanciam mercatoriam* tanto commodiorem esse, quanto exportatarum copiam, importatae res superent. Suecia ferrum, Silesia linteum, propense exportant, nam ferrum et linteum sunt fructus soli et laboris harum regionum; cur Mexico aut Peru, aurum et argentum, quae pariter soli et laboris harum regionum fructus sunt, exportare haesitant? Hollandia nullas ferri aerisque fodinas possidet, tamen horum metallorum pro necessitate per mercaturam eam, quae sufficiat copiam sibi parat, supervacuamque quantitatem exportare non dubitat. Nonne aurum argentumque merces sunt, aequa atque aes ac ferrum? (15) Exportatio vasorum argenteorum aureorumque saepius permittitur; num vero alia in vasis, alia in pecunia metalli natura?

§. 14.

Si quando civitas per mercaturam cum extraneis, ex altera parte plus metallorum pretiosorum importet, quam quod ad usum et consumptionem, circulationemque ipsius requiratur, quantitas supervacanea ex altera parte omnino exportanda est, adeo, ut civitas nunquam plus auri argentique, quam quod ei necessarium sit, in territorio suo retinere queat.
„Une nation, *recte observat Storch* (¹⁴), une nation peut fort bien solder constamment avec quelques nations étrangères moyennant le numéraire *qu'elle reçoit*, mais pour cela il faut qu'elle puisse solder constamment avec d'autres nations moyennant le numéraire *qu'elle leur envoie*; autrement elle ne saurait que faire du numéraire qu'elle reçoit“ — Praeterea in *mercatura mediata* quam dicunt, (*commerce circuiteux*), quamquam civitas, merces extraneas auro et argento emere saepe videatur, tamen si ultimam rationem indagaveris, merces has tantummodo fructibus soli industriaeque suae solvit. Quemadmodum Anglia merces suas cum auro et argento Americae meridionalis permutat, hisque metallis pretiosis a Sinensibus theam emit. Thea igitur, ope auri et argenti, reapse fructibus tum soli tum industriae Angliae solvitur (¹⁵).

§. 15.

Neque re vera civitas alio modo importatas merces emere potest, nisi fructibus tum soli, tum industriae suae. Aurum et argentum tunc tantum

pendit, quando ea, propriae tulerunt fodinae. Si quaerimus apud extraneam civitatem merces quae ibi nascantur, civitas haec poterit continuo quaesita merces nobis procurare, aucta enim *postulatione* (*demande*), creatio quoque augetur, nisi forte creatio extra potestatem sit hominis. At civitas propriis auri argenteique fodinis carens, tunc solum merces nostras pretiosis metallis solvere potest, quando prius metalla haec aliis fructibus soli industriaeque suae emerit. Utrum vero civitas merces alienas ad proprium usum, an ad mercaturam tantum, quam *transitoriam* appellare solemus, importet, perinde est; semper enim extraneae merces, mercibus civitatis hujus solvuntur (¹⁶).

§. 16.

Civitates locupletiores saepenumero *capitalia* sua, quae merces sunt, pauperioribus civitatibus mutua dederunt, his praesertim in industria progrediventibus. Tali modo *bilancia mercatoria* civitatibus mutuum accipientibus tantum nocens esse videtur, quantum id mutuum acceptum efficiat. Sed si *capitalia* mutuo sumpta, non ad sterilem usum, sed ad novas divitias creandas adhibentur, ex mutuo hoc, haud parvum lucrum pauperioribus civitatibus nascitur (¹⁷). Si civitas *capitalia* sua mutua dat, id jam ipsum indicat magnam eorum abundantiam et copiam, quae indigenae industriae applicari nequeat. Status tamen iste, tantummodo per naturalem industriae progressum evenire potest. Artificiosis vero modis id efficere velle, idem esset, ac si

mercator modis quibusdam ad commercium exercendum indigen, *capitalia* quaedam, quae jam possideret, mutua dare vellet.

§. 17.

Excepto hoc casu, quem praecedenti capite enucleavimus, civitas evidenter detrimentum caperet, si exportatio; importatarum rerum copiam superasset. Exemplum nobis praebent subsidia pecuniae, quae ab una civitate alteri solvuntur, quaeque dum rationem cambiorum (*cours de lettres de change*) civitati subsidiariae damnosam reddunt, id efficiunt, ut mercatores hujus civitatis, merces suas etiam vilius vendant, quam quod *preium necessarium* (*prix nécessaire*) sit, magnamque earum copiam exportent, ac praesertim cambia pecunia patriae suae solvenda importent. Id quidem negari nequit, singulos mercatores nihil perdere, quia quod in pretio mercium desit, id per rationem cambiorum compensetur; nihilominus tamen totam civitatem; quippe quae non solum ipsa subsidia, sed etiam iu ratione cambiorum differentiam solvere debeat (¹⁸).

§. 18.

Fingamus, ait Droz (¹⁹), mercatorem franco-gallicum mercium indigenarum 50,000 fr. pretio exportasse, et, postquam merces suas optime vendidisset, extraneasque vilissimo pretio emisset, mercium extranearum 100,000 fr. prétio importasse. In hoc casu secundum *bilanciam mercatoriam*, Gallia damnum 50,000 fr. esset perpessa. Sed si mercator ille

per naufragium merces suas perdidisset, tunc secundum eandem *bilanciam*, Gallia valorem 50,000 fr. lucrata esset!

§. 19.

Gratulari profecto omnibus civitatibus hac de re debemus, *bilanciam mercatoriam*, ut verbis *mercantilistarum* utamur, nunquam in vulgaribus casibus luerativam esse. Omnes enim civitates per mercaturam extraneam, majorem semper valorem important, quam exportant, quod quidem ob sumptus ad transferendas merces necessarios, lucrumque mercatoris, aliter esse non potest. Exempla apud J. B. Say (20) et Seybert (21) invenies.

§. 20.

Ad *bilanciam mercatoriam* expediendam, duo modi adhibentur, nempe: *tabulae camerarum ad percipienda portoria institutarum* (*registres des douanes*); nec non *ratio cambiorum*. Uterque et in theoria et in praxi ad admotum falsas conclusiones ducit.

§. 21.

Quod ad tabulas supra memoratas attinet, haec valde imperfectae sunt, nam 1) merces extraneae quae propter interdicta justoque majora portoria clandestine (*par contrebande*) importantur, ibi locum non habent. Quo vero interdicta frequentiora, quoque majora portoria, eo frequentior etiam fraudulenta vetitarum mercium mercatura est. 2) Ubi mercato-

res per praemia ad exportationem compelluntur, vel ubi vectigalia, quibus merces ad usum domesticum destinatae obnoxiae sunt (*accise*), in casu quo merces istae exportentur, restituuntur, ibi exportatio earum major apparebit, quam quidem re vera sit. Merces enim exportatae, ad nova praemia obtinenda rursus clanculum importabuntur, atque in curiis ad portoria colligenda constitutis, quasi exportationi destinatae, iterum declarabuntur. 3) Contractus emptio*n*is venditionis, non semper eo loco ineuntur, et proprietas mercis non semper eo loco a nostro mercatore in extraneum, aut invicem transfertur, ubi indices mercium tum exportatarum, tum importatarum consciuntur. Tempus vero impensaeque ad merces in locum, quo in usum vocari debeant, expediendas, nec non lucrum mercatoris, pretium earum adaugent. 4) Aestimatio mercium imperfectissime fit; saepius enim eodem nomine venient merces admodum diversae indolis. Jam ~~admirator~~ est cunctas mercium species singulatim examinare atque discernere: sin autem declarationem pretii ab ipsis mercatoribus expectabimus, hi saepissime aestimabunt; justo minoris, merces portoriis obnoxias, justo majoris, portoriis liberatas, maximi autem, quae praemiis ornentur. 5) Pecunia ab hospitibus peregrinis in nostra civitate consumpta, par est exportationi mercium nostrarum, quippe quae ab iis consumantur: pariter pecuniam cives nostri dum apud exteros peregrinantur, in res ad usum suum necessarias ibi si consumunt, idem est, ac si merces aliorum ad nos advehantur: atqui neutra harum pecunia in in-

dice exportatarum atque importatarum rerum comprehenditur. 6) *Bilancia mercatoria* vulgo ad finem uniusopusque anni instituitur: negotia vero mercatorum, praesertim in mercatura cum extraneis, non semper hoc temporis spatio absolvuntur. 7) Denique ipsi portoriorum inspectores, ad utilitatem *bilanciae* probandam, suaque de republica merita magis in lucem producenda, tabulas illas ita confidere possunt, ut exportatae merces, semper importatarum numerum superent (24).

§. 22.

Ratio cambiorum etiam imperfectiorem expediendae *bilanciae mercatoriae* modum praebet. Nam 1) majus vel minus cambiorum pretium, non tam ex ratione commercii duarum civitatum, quarum *bilancia mercatoria* comparatur, quam potius ex ratione commercii inter has civitates, cunetasque alias intercedenti, pendet (25). 2) Major ratio cambiorum alicujus civitatis, non semper majorem quantitatem mercium ab ea venditarum indicat; ratio enim haec ob alias causas plane mercaturaie alienas, ut, ob subsidia, exactiones bellicas, mutuum, pecunias peregrinantibus mittendas, denique ob causas politicas, et similia, diminuitur vel augetur. 3) Commerciū cambiorum, quod nostris praesertim diebus adeo frequens factum est, ad eorum *oblinens* pretium cum justo valore exaequandum stabiliendumque, maxime tendit, atque causa est, cur ratio cambiorum ne ita quidem institui possit, ut *bilancia mercatoria* verosimiliter comparari queat. 4) Deni-

nique, ratio cambiorum diversis etiam temporibus diminuitur vel augetur: quae tamen res in *bilancia* conscienda raro observari et potest et solet.

§. 23.

Statistica hanc nostram de *bilancia mercatoria* opinionem, potissimum confirmat. Experientia enim docet, neque *bilanciam mercatoriam* sic dictam *infaustum*, (*balance du commerce défavorable*), ullam civitatem pretiosis metallis ad usum, consumptionem, circulationemque ejus necessariis privasse, neque *bilanciam* sic dictam *lucrativam*, (*balance du commerce favorable*), unquam plus, quam quod ad usum, consumptionem, circulationemque necessarium esset, accumulasse; quamquam, si indices porteriorum aliquam fidem mererentur, plurimae civitates magna auri et argenti copia, quam per *bilanciam mercatoriam* ab aliis civitatibus adquisiverint, obrui deberent. Multa hujus opinionis exempla invenies apud *Storch*, *Bernoulli*, *Sismondi*, *Murhard*, *Jean Baptiste Say*, aliosque (24). Ipse quidem *Büsch*, iste studiosissimus *bilanciae mercatoriae* defensor, ejus imperfectam confitetur naturam (25).

DE INTERDICTIS AC PORTORIIS.

§. 24.

Diximus supra (§. 8), civitates ad industriam et mercaturam suam promovendam augendamque, inter

alios modos praecipue interdicta *mercatoria* adhibuisse. Ratio haec, quamvis temporis natura immutata, haud raro nostris quoque diebus usurpatur. Interdicta, de quibus hic sermo est, referuntur ad exportationem fructuum crudorum, et ad fructus fabricatos importandos. Secundum diversitatem temporum, in eadem civitate, tum excitabantur per premia homines ad frumentum exportandum vel importandum, tum etiam importare vel exportare vetitum erat. Ubi autem perfecta interdicta locum non habuere, ibi portoria instituebantur. At portoria justo majora nil a perfecto interdicto differunt. Justo autem majera portoria sunt nobis ea, quae solis indigenis monopolium et creationis, et venditionis vel emptionis mercium concedunt.

§. 25.

Jam ab initio monendum est, nos de nimis tantummodo portoriis locuturos. Portoria enim modica et ita constituta, ut fundamentis oeconomiae politicae convenient, ad vectigalia recipienda satis idoneam aptamque rationem suppeditare nobis videntur. Utrum tamen et modica portoria industriae adjuvare possint, dubitare licet, quamvis non pauci summi viri contrarie arbitrentur (²⁶).

§. 26.

Finis proximus interdictorum exportationis fructuum crudorum est: 1) ut civitas ex eorum fabricatione lucrum faciat; 2) ut officinae domesticae necessariam sibi ad fabricationem materiam crudam

quam minimo pretio comparare possint; 3) ut numerus fabricarum quam maxime in civitate augeatur. Haec enim erat opinio, si ob interdicta, fructus crudi ex civitate non exportarentur, eos necessario in civitate ipsa elaborari debere: satis igitur esse denegare e. g. exportationem lanae, ut officinae ad pannum fabricandum: quadam quasi magica arte excitatae exoriantur (²⁷). Accuratio tamen rei disquisitio, falsitatem opinionis ostendit. Fabricatio enim non solum materiam crudam, sed etiam multa alia requirit. Videamus porro, cur fructus crudi in civitate elaborari nequeant, et utrum interdicta exportationis, aliis rebus necessariis deficienibus, fabricationem eorum in civitate provocare possint, nec ne.

§. 27.

Quamquam diversae atque innumerae causae esse possunt, quibus indigenae ad fructus crudos exportandos potius, quam fabricandos moveantur, hae tamen ad quatuor sequentes redigi possunt (²⁸). 1) Si civitas indiget aliqua re sibi pernecessaria, quam domi edere omnino nequeat, quamque non aliter sibi ab extraneis comparare possit, nisi fructuum crudorum pretio. Fingamus civitatem aliquam indigere salis, idque si non unice, attamen commodissime et vilissimo pretio, ab altera certa quadam civitate emere posse: hanc autem civitatem non aliter sal suum vendere velle, nisi ab illa acceperit lana. In hoc casu fieri quidem potest, ut ob exportationem lanae vetitam, officinae panni fabricandi forte

nascantur: sed decidunt de magna spe, qui inde emolumenta grandia sperant: plus enim ex his ephemeras fabrios dispendi, quam utilitatis nascitur. Civitas enim illa maximo pretio necessarium sibi sal aliunde sumere debet; *pretium necessarium panni*, ob majores fabricationis sumptus sit majus; creatio lanae gradatim necessario minuitur, denique fabricae illae, dum pannum suum commode vendere non possunt, sensim dilabuntur. 2) Si parvus incolarum numerus, (*population*), exigua *capitalia*, industriaque nondum satis aucta alicujus civitatis, in causa sint, ut civitati huic sit commodius, fructus crudos, potius quam fructus fabricatos creare. In hoc casu exportationem fructuum crudorum interdicere, idem esset, ac laborem et *capitalia* non naturali via incedere jubere (20). 3) Si civitas caeteroquin fructibus crudis abundans, indigeat alia materia cruda, ad fructus istos fabricandos omnino necessaria, eamque sibi nullo modo comparare queat. 4) Postremo, si natura tam rerum physicarum quam moralium, quae loci alicujus propriae sunt, veluti civitatis *geographicus* situs, si eum cum caeterarum gentium situ compares, si superstitiones, opiniones praejudicatae ab antiquissimis temporibus quasi innatae, et id genus alia, fabricationi impedimento sunt: vel si civitas ab aliis civitatibus circumdata est, in quibus industria fabrilis magnum jam perfectionis gradum adepta est; si caret facili et recta conjunctionis via cum locis, ubi mercatura potissimum exerceatur, et similia. In his omnibus casibus, etiam si artificiosis modis adjutae nascantur officinae,

tamen hae, ob causas supra perlustratas, fructus suos extraneis vendere non poterunt, indigenis vero qui eis uti velint, iidem fructus ob majores fabricationis impensas, cariores essent, quam si hi fructus per mercaturam ab istis civitatibus emptae fuerint, ubi industria magis floreat.

§. 28.

Quum ergo quaecunque causarum hucusque enucleatarum fabricationi fructuum crudorum obstaculo sit, exportatione eorum interdicta, fabricationem hanc nequam adjuvari posse, evidenter liquet. Civitati vero industriam suam augere desideranti, nil sanctius est, quam ut ad impedimenta illa tollenda, omnia quae in potestate sint ejus, adhibeantur.

§. 29.

Imo tunc etiam, quando materiam crudam domi fabricare possumus, exportatio ejus minime vetanda est; aucta enim postulatione, creatio quoque hujus materiae augebitur. Si nostri opifices aequa bene et perfecte, iisdemque sumptibus atque extranei e.g. in lino elaborare possunt, tunc extraneorum rivalitas in emptione lini, nostris opificibus nequam nocebit. Si vero fabricis aliorum, linum nostrum aut melius aut minoribus impensis fabricatur, exportatione ejus vetita, civitas nostra magnum capiet detrimentum. Ita enim civitas extranea alibi linum emet; diminuta autem fructus hujus apud nos postulatione, pretium quoque ejus; hoc autem dimi-

nuto, creatio quoque minor fiet. Tunc tantum denegata exportatio fructuum crudorum, fabricationem eorum apud exterros ad nihilum reducet, et apud nos provocabit, si fructus hi in sola civitate nostra creentur. Sed, num etiam exportatio talium fructuum prohibenda sit, si vel melius, vel minoribus impensis apud exterros fabricentur, dubitare licet.

§. 30.

Progressus atque incrementum divitiarum, minime a specie naturae creationis, sed a valore rerum creatarum pendet. Si civitas iisdem laboris ac *capitalium* impensis, duplum valoris in lana quam in panno elaborando creat, quis negabit creationem lanae prae creatione panni duplex ei afferre emolumendum? Si civitas lana sua vendita, seu plus panni, seu meliorem ab extraneis comparare sibi potest, quam quod haberet, si eundem laborem eademque *capitalia*, non ad lanam extraneis officinis suppeditandam, sed potius ad pannum domi fabricandum adhibuisse, commodius certe huic civitati erit lanam edere, fabricationemque panni extraneis relinquere. Id quidem fatemur, si modum distributarum divitiarum inter diversos civium ordines spectemus, non idem esse, utrum civitas certum valorem in lana, an in panno creet: primo enim casu totus valor inter agricolas, postremo vero minima ejus pars inter agricolas, maxima autem pars inter fabros distribuitur. Sed florente omnium industriae generum libertate, opes aequissime distribuuntur. Si vero aliquis civium ordo, justo plus prae-

ordinibus caeteris artificiosis modis adjuvatur, id et justitiae contrarium est, et divitiis ereandis maxime obest. „Ne protégez aucune classe de la nation, docet vir summus J. B. Say (¹⁰), elles chercheront toutes, les industries les plus généralement profitables, elles ne pourront se plaindre que de la nécessité des choses, et laisseront l'administration en paix.“

§. 31.

Quo magis mireris, falsam illam de lucro ex fabricatione fructuum crudorum percipiendo opinionem, ubique locorum adeo vulgatam esse. Tamén cl. Storch evidenter probavit (¹¹), civitatem quae praecepit agrum colat, aliosque fructus crudos crevit, (*nation agricole*), maxime lucrari, si fructus sub crudos permutet cum fructibus fabricatis aliis civitatis, ubi industria magis floreat. Aucta enim in hac altera civitate industria, postulatio quoque fructuum crudorum, et pretium eorum augeatur, necesse est; contra vero major perfectio, inventionesque fabricationi applicatae, *pretium necessarium fructuum fabricatorum* diminuunt. Quo fit, ut civitas illa prima lucretur, tum vendendo fructus suos crudos, et in maiore copia et majore pretio, tum emendo fructus fabricatos alterius civitatis, et viliore pretio, et meliore natura.

§. 32.

Ex iis quae hactenus disputavimus, facillime concludere possumus, interdictam exportationem fruc-

tuum crudorum, has praecipue efficere res. 1) Primam quidem, imminutionem pretii *obtinentis* fructum crudorum, ob extenuatam et aemulationem et postulationem. 2) Diminutionem creationis eorum, et hinc etiam industriae agrariae. Itaque quum olim Gallia exportationem bombycis interdixisset, aliae civitates alibi bombycem sibi comparabant, creatione ejus in multis Galliae districtibus minuta est, vel omnino cessavit. Britannia interdixerat olim exportationem tam lanae quam ovium, quod si fieret, poenas de reis sumptura *). Quo facto, res pecunaria in Britannia comminuta est, lanaeque cura neglecta **). Teste Nicolao Palmieri (**), interdictum exportationis boum, copiam eorum in Sicilia diminuit, et pretium auxit. Multa alia exempla invenies apud Leuchs (**). 3) Per ejusmodi interdicta, officiis indigenis ad tempus tantum emptio fructuum crudorum justo viliore pretio suppeditatur: nam propter diminutam eorum creationem, pretium obtinens magis aliquando augebitur, ac si exportatio permissa fuerit. 4) Venditio rerum fabricatarum, ob paupertatem numerosissimi civium ordinis agricultarum, necessario diminuetur. Agricola enim duplex damnum patitur, scilicet et justo vilius fructus crudos vendendo, et justo carius emendo fructus fabricatos, quos libera mercatura et in majori copia,

*) Vid. 8. Elis. cap. 3. — 12. Car. II. cap. 32. —
**) 7. et 8. Guilh. III. cap. 28. — 4. Georg. I. cap.
11. — 12. Georg. II. cap. 21. — 19. Georg. III.
cap. 34. — (**).

et minoribus sumptibus ab exteris comparare sibi potuerit. 5) Civitas perdit omnne lucrum, quod ex libera fructuum crudorum mercatnra caperet.

§. 33.

Quid sit materia cruda, quid vero res fabricata, in praxi cōstituere difficillimum est: eadem enim res, tum hoc, tum illud esse potest. Linum e. g. agricultae est fructus fabricatus, deductori vero filorum, materia cruda; fila sunt fructus fabricati deductori filorum, ac materia cruda textori; textori linteum est fructus fabricatus, ac sartori materia cruda. Textor desiderabit ut exportatio linteai permittatur, sartor vero ut prohibeatur. Idem interdictum plurimis industriae generibus detimentosum esse potest. Si prohibeamus e. g. exportationem filorum; ex interdicto hoc, primum filorum deductor, deinde vero agriculta quoque damnum capient (17).

§. 34.

Hactenus de exportatione fructuum crudorum: nunc de fructibus fabricatis inferendis. Ecce autem ex defensorum *systematis prohibitivi*, quidam sic fatur cohorte. „Si fructus fabricatos extraneos importare permittimus, tunc propter continuum exterrorum in industria jam perfectiorum cum nostris officiis contentionem, nullae apud nos officinae crescent; cives nostri emendo apud exteris omnes res necessarias, extraneam industriam, potius quam indigenam adjuvabunt, nosque in aeternum, quasi tributarii aliarum gentium manebimus. Sed vetemus

„plane fructus extraneos fabricatos importari, vel de-
„nique exigamus ab iis importandis enormia porto-
„ria, tunc fabri nostri extraneorum rivalitate liberl,
„fructus officinarum suarum, primum quidem domi,
„postremo vero, progressu industriae magis magis-
„que crescente, etiam exteris, non amplius extero-
„rum metuentes studium, vendere poterunt. Certe,
„negari non potest, cives nostros initio omnia carius
„empturos: id tamen malum non diu durabit, eoque
„magis est ferendum, quia id fabricarum futurarum
„causa fiat: quod etiam olim fabricarum laetissimo
„statu, industriae flore, ab aliis civitatibus securitate,
„opibus accumulatis, caeterisque innumeris commo-
„dis copiosissime reparabitur.“ Hactenus *systematis*
prohibitivi patronus: num tamen tam pulchros ferat
fructus eorum ratio, et quod primum est, num per
eorum interdicta officinae indigenae adjuventur, haec
nobis in praesenti examinanda proponimus.

§. 35.

Homo facultatibus, ad satisfaciendum necessariis
tibus suis a natura praeditus est. His facultati-
bus indigent homines, et ad rationes, quae inter eos
resque externas intercedant perspiciendas, et ad res
finibus suis assequendis idoneas, edendas. Res au-
tem hominibus necessariae, aut ab iis ipsis crean-
tur, aut aliorum ope, nempe permutando res a se
editas, cum aliis, quas ipsi aut omnino edere ne-
queant, aut non tam perfecte, quam alii. Jam in
primordiis societatis, discrimin occupationis inter
singulos homines, ob diversas eorum facultates ne-

cessario nascitur, atque naturali modo mutuas ferrum creatarum permutationes efficit, quoque societas perfectior est, eo majus discrimen illud fit.

§. 36.

Quae de singulis hominibus dicta sunt, eadem de civitatibus dici possunt: civitates enim, ut singuli homines, diversis facultatibus tam physicis, tum moralibus a natura praeditae, res sibi necessarias vel per se, vel aliorum ope, per commutationem scilicet, procurare possunt: ut inter singulos homines, ita etiam inter universas civitates, aliae res in altera civitate, aliae in altera pro temporum et locorum discriminé, melius vel minoribus impensis creantur.

§. 37.

Quid putandum esset de sartore, qui ne sutor lucraretur, calceamenta sibi necessaria ipse conficeret: quid de sutore, qui ob similem invidiam vestes suas ipse pararet? Quod si factum est, ne dubitari quidem potest, et calceamenta sactoris, et vestes sutoris, peiores fore, majoris tamen pretii, quam si sutor sartori calceamenta, hic vero illi vestes confecisset. Nonne eadem ratio inter diversas civitates intercedit? „De même, ait Storck, qu'il y aurait une perte manifeste pour la Russie à vouloir cultiver dans les serres les épiceries qui nous viennent des Moluques, il y a également une perte manifeste à fabriquer des étoffes et des ustensiles qui nous viennent d'Angleterre, parceque nous pouvons acheter

et les unes et les autres à meilleur compte qu'il nous serait possible de les produire chez nous, et que nous les achetons avec des marchandises, que nous produisons, nous à meilleur marché, que les Anglais ne pourraient les produire“ (37). Jam supra observavimus, civitatem emptas apud exteris merces, non aliter nisi fructibus proprii soli propriaeque industriae solvere posse; quod idem significat, ac si dicamus, civitatem proprios tantummodo fructus, partim re ipsa, partim vero aliis intercedentibus, mutando scilicet fructus suos cum fructibus aliarum civitatum, consumere. Per mercaturam igitur cum extraneis, civitas sibi tales acquirit fructus, quos vel omnino domi creare nequit, vel non tam perfecte, neque iisdem sumptibus, quam aliiae civitates. Interdicere itaque merces extraneas aditu ad nos, idem est, atque easdem res domi et pejus et carius fabricari jubere. Si enim civitas nostra par perfectione, iisdemque impensis rem aliquam creare potuisset, quibus idem exteris facerent civitates, tunc ob vecturae sumptus, merces extraneae a nobis non expeterentur. Jam vero, quando merces extraneas meritis nostris solvimus, consumptio illarum, harum consumptioni par est: et utrum civitas panno, vel linteo, vel aliis rebus domi confessis utatur, an theam panno vel aliis rebus emptam consumat, semper pannum suum consumit, hac solum differentia, quod primo easu pannum, vel linteum, vel alias res ipsas consumpsert, secundo autem, thea demum intercedente. Utroque casu, panni,

vel linteui consumptio, pariter novum pannum, vel
linteum edi jubebit..

§. 38.

Non solum vero lucratur civitas comparando sibi
per mercaturam tales fructus, quos vel omnino ede-
re nequit, vel saltem non tam perfecte, aut majo-
ribus sumptibus, quam aliae civitates, sed etiam
emendo apud exteris tales merces, quas domi mi-
noribus quam caeterae civitates creet impensis, si
nempe merces hae aliis fructibus ejus solvantur,
quos etiam minore impendio edat. Exemplum inve-
nies apud *Ricardo* (¹⁸).

§. 39.

Haud raro audimus, rudes praesertim in scien-
tia oeconomiae politicae, contendere; parum interesse
civitatis, quantis sumptibus res sibi necessarias
creet: si modo sumptus hi, uti ajunt, in civitate
ipsa maneant. Supervacuum esset, et a proposito
nostro alienum, hanc absurdam et futilem refutare
opinionem. Unicuique enim naturam edendarum
opum non plane ignorantis, falsitas hujus sententiae
facillime apparebit.

§. 40.

Perfecta omnium industriae generum securitas,
labori et *capitalibus* naturalem, optimam sane ape-
riret viam. Quis enim intelligat melius, quodnam
industriae genus unicuique conveniat, quam quorum
haec potissimum intersint? (¹⁹)

§. 41.

Per mercaturam cum extraneis, certa quaedam civitas, ex inventis perfectioneque fabricarum iuteratur. Si enim exteri, modum diminuendarum impensarum in edendo aliquo opere excogitarunt, aut quod idem est, iisdem sumptibus meliora proferendi, tunc ob diminutum pretium necessarium, pretium quoque obtinens pariter levabitur. Quid? quod tunc etiam, quando modus ille fabricandi meliora vilioris tamen pretii, quamcumque ob rationem, veluti secreti causa, solius inventoris res facta fuerit, omnibus id utile sit: idem enim ipse ad majorem sibi venditionem domi et foris prae caeteris ejusdemque rei auctoriibus parandum, pretium obtinens diminuere haud haesitabit. „Si le commerce général, docet Storch, (40) était parfaitement libre, chaque pas qu'un peuple ferait vers la prospérité, chaque augmentation de capital, chaque nouvelle découverte, en quelque coin du monde qu'ils pussent avoir lieu, amélioreraient nécessairement l'état de toutes les nations commerçantes, et chacune en particulier deviendrait plus florissante, à mesure que toutes le deviendraient. C'est ainsi que le vent la sagesse éternelle; mais souvent les administrateurs s'obstinent à ne pas comprendre ses vues bienfaisantes, et c'est en entravant autant qu'ils peuvent les relations commerciales de leurs administrés, qu'ils s'imaginent accélérer les progrès de leur richesse et de leur industrie.“

§. 42.

Consumentium, (consommateurs), autem commo-
do ante omnia consuli debet: hac etiam de capsa,
*quod, quo locupletiores sint *consumentes*, eo citius*
atque eo majore copia, auctores fructus suos vendo-
re queant. Dubitare id quidem nequit, quin omnes
fere fructus alicubi expetantur; ad eorum tamen
venditionem simplex postulatio non sufficit, sed re-
*quisitur postulatio *effectiva*, (demande effective),*
quum nempe postulator rem postulatam alio fructu
a se creato solvat. Nihil autem ad beatitudinem
incolumitatemque omnium augendam adeo confert,
*quam libera mercatura: ejus enim auspiciis, *consu-**
**mentes* fructus sibi necessarios comodaissime pro-*
curare, auctores vero fructus industriae suae quam
quaestnosissime vendere possunt. Si liceret in Bri-
tanniam aliorum frumentum importare, in eas autem
civitates, quae praesertim agrum colant, res fabri-
catas inferre plane permisum esset, profecto in
Anglia pauperiores nunquam panis penuriam pate-
rentur, aliae autem civitates res fabricatas, viliori
pretio constantes; et meliores haberent; Britannia
suorum fructuum fabricatorum, et civitates agriculturae
deditae frumenti sui, majorem copiam vende-
rent; Britannia de difficultate fructus suos fabrica-
*tos vendendi, deque officinarum uti dicunt *stagna-**
**tione*, civitates vero agrum colentes de miserrimo*
illo, justoque minore frumenti pretio, non queroren-
tur: imo Britannia plus fructuum fabricatorum, ci-
vitates autem agrum colentes, plus frumenti edere

possent: in Britannia postulatio laboris, et in civitatibus agrum colentibus, salarium operariorum, ac beatitas communis maxime augeretur (41).

§. 43.

Quamvis, quae libera mercatura afferat comoda, tot tantaque sunt, nulla tamen miracula ab ea sola sunt expectanda. Si alia obstacula beatitatem publicam cohibent, certe libera mercatura tantum civitati proderit, quantum prosunt cachetico confirmantia remedia. Ut enim in corpore animali, ita etiam in corpore politico, vita ac vires ex actione cunctorum organorum pendunt. Uno organo debilitato ac fracto, caetera quoque impedianter, necesse est.

§. 44.

Quid tamen putandum de isto fervido studio se ab aliis civitatibus sezjungendi, omniaque domi creandi, ut tali modo ab emptione mercium extranearum tributisque pro illis solvendis liberemur? Civitas late patens, civitas diversis fructibus abundans, exclamat quidam *prohibitivi systematis* assecla, ipsa sibi optime sufficit, omniaque fabricarum genera possidere potest, consumendo vero proprios tantum fructus, propriam etiam adjuvabit industrias. Falsitas hujus opinionis facillime refutatur iis, quae supra toties memoravimus: civitatem, proprios tantum fructus consumere, seu qualia sint ipsa, sive fructuum extraneorum forma. Atqui non negamus mercaturam internam, sive terminos ejus, sive usum

quem labori ac *capitalibus* indigenis procurat res-
picias, multo pluris esse civitati, quam mercaturam
cum extraneis. Ex altera tamen parte contingere
potest, ut provinciae nonnullae, praesertim in civi-
tate late patente, res aliquas longe facilius ab ex-
teris, quam ab indigenis comparare possint, etiam-
si eae in aliis ejusdem civitatis partibus abunde
creentur (42). Timere vero ne civitas extranea
omnia industriae genera ad se trahat, idem esset,
ac sperare, fore, ut omnia nobis gratis suppeditet.

§. 45.

Ipsae tantummodo urgentes causae politicae, in-
terdicta aliquando excusant; in mercatura enim,
commodum directum priyatorum, haud raro com-
modo publico contrarium est. Interdicta haec indu-
striae atque opibus semper noxia sunt, sed rei au-
gendaे cura, saluti publicae tuendae, omnino cedere
debet. At interdicta, quae non salutis propriae tu-
endae causa, sed aliis civitatibus nocendi gratia
fiunt, coram judicio oeconomiae politicae nunquam
a culpa absolveantur. Exempla: *edictum Cromwelli*
de navigatione: *systema sic dictum continentale*
Napoleonis etc.

§. 46.

Ajunt multi, importatas merces extraneas potis-
simum ad sterilem consumptionem ansam praebere;
contra vero, iisdem ipsis observatur, si importari
extraneas merces vetitum sit, si ob hoc interdictum,
consumptio, atque inde creatio quoque rerum indi-

genarum auctae sint, laborem etiam atque *capitalia* hucusque sterilia, ad novam divitiarum creationem stimulari (⁴³). Recete quidem observat Rau (⁴⁴), si industria ab omnibus obstaculis libera foret, laborem et *capitalia*, naturali via fructuosissimae occupatio- ni applicari, praesertim libera mercatura, industriae ac beatitudini omnium quam maxime favente.

§. 47.

Credunt etiam, nimium amorem ac studium extranearum mercium, suis injuste neglectis, facillimo modo per interdicta, ne importentur ejusmodi merces, extingui posse; tunc enim cives ad usum mercium domi paratarum, volentes vel invitos necessario coactos esse. Sed ad alia hic remedia recurrendum est; dum enim importari res exteræ vetitae sunt, dum prohibitae magis placent, commeatus clandestinus vetitarum mercium eo magis augebitur.

§. 48.

Tum vero fabri, secundum aliorum sententiam, vectigalibus pendendis obruti, ab exterorum studiis et contentione tueri se non possunt, quippe qui iisdem impensis, atque exteri, eadem edere nequeant: itaque huic rei quo melius occurreretur, omnino commeatum extranearum mercium denegandum esse putabant. Sed hoc malum non per interdicta, sed potius per systematis vectigalium percipiendorum immutationem, sanari potest. Ita enim putamus, interdicta ejusmodi, fabris vectigalibus oneratis, minime profutura, quam tali modo ipsi non solum ni-

mia vectigalia solvere, sed etiam omnia justo ma-
jore pretio comparare sibi cogantur.

§. 49.

Jam si civitas extranea merces suas cum no-
stris permutando, ob minores creationis impensas,
vel plus lucratur quam nostra, ne hac quidem de-
re conqueri debemus: civitas enim nostra etsi mi-
nus, semper tamen lucratur „Qu' importe à un Rus-
se, ait Storch, (45) qu'à l'aide de leurs capitaux et
de leurs machines les Anglais aient filé et tissé
dans une seule journée, l'étoffe de coton ou de lai-
ne, qu'il échange avec eux contre une quantité de
chanvre, ou de suif, qui lui a couté, ce qui leur
aurait couté deux journées? Si dans l'état actuel de
son industrie, il ne peut se procurer les matériaux
de ces étoffes et les fabriquer sans y consacrer trois
journées; l'un et l'autre peuple aura gagné à cet
échange l'épargne d'une quantité de travail corres-
pondante, et l'un et l'autre pourra employer le tra-
vail ainsi épargné à créer d'autant plus d'étoffes,
d'autant plus de chanvre, ou d'autant plus de tous
autres produits.“ Civitas quidem id magno opere
eurare debet, ut in mercatura cum extraneis quam
maximum lucretur. Quia vero lucrum hoc, ut su-
pra memoravimus, praecipue ab impensis creationis
pendet, civitas id non aliter assequi potest, nisi
amovendo causas, quae industriae magis excolendae
impedimento sint; id autem potissimum a naturali
laboris et *capitalium* usu expectandum est. Si
vero civitas invidia ducta, invectionem mercium ex-

tranearum prohibet, quum merces hae melius alibi quam in ea fabricentur, certe damnum capit, nil curans, nisi ne alii lucentur. „Prétendre leur enlever cet avantage, docet toties laudatus Storch, (46) et se l'approprier à soi, quand on n'est pas encore parvenu au même degré de prospérité, et qu'on n'est pas favorisé par les mêmes circonstances, c'est épuiser ses moyens dans une entreprise ingrate, tandis qu'on peut les augmenter dans d'autres plus fertiles et plus accessibles.“

§. 50.

Si omnes civitates mercaturam liberam declarassent, ajunt alii, tunc etiam omnes pari modo secundum industriae suae gradum lucrum cepissent, quia fructus unius civitatis, naturali via cum fructibus alterius essent permutati. Sed si civitas quaedam importare merces alienas plane permisisset, aliae vero invehendis mercibus ejus se opposuissent, tum vero ipsi quidem fructus suos ei continuo suppeditassent, hinc ejus industria, praesertim vero fabri-
cae ob defectum venditionis rerum elaboratarum, necessario periissent (47). Quae sententia etiamsi doctissimorum virorum auctoritate haud raro firma-
ta sit, nihilominus tamen facile refutari potest. Quum enim merces extraneae quas importari patiamur, non nisi mercibus nostris solvantur, civitas extranea quae merces suas nobis vendere voluisse, nostras vero repudiasset, non aliter nobis merces suas procurare potuisset, nisi eas gratis offerendo. Si igitur civitas aliqua invēctionem mercium nostra-

rum plane prohiberet, ipsa quoque non alio modo suas venderet nobis, nisi merces nostras ad mercaturam *transitoriam*, vel quam *transportatoriam* dicunt, destinando. Mercator anglicus e. g. emit saepe extraneum frumentum, non ut illud in patriam suam invehat, sed ut frumentum hoc apud exterorū emptum, aliis exteris vendat. Certe, si ab aliis gentibus merces nostrae invectione interdicuntur, haud parum nobis inde damnum exoritur, num vero et nos exemplum illud secuti, importandis mercibus alienis nos opponemus, ut malum illud jam perse grave, eo difficilius reddamus? „Dürfen wir uns unserer gesünden Brüder nicht frei bedienen,“ ait Behr (⁴⁸), weil unsere Nachbaren noch Beinschallen zu tragen belieben? „Krug vero ita de talionibus in mercatura loquitur: „meistentheils fallen die Repressalien aber, in die Kategorie jener Postilions-Politik: *schlägst du meine Juden, so schlage ich deine Juden*“ (⁴⁹). Caeterum exempla civitatiū quae omnino taliones in mercatura ignorant, quae tamen optima sorte fruuntur, magis probant vim hujus remedii, quam eruditissimae ratiocinationes. Exempla haec invenies inter alios apud Murhard, et Seutter (⁵⁰).

§. 51.

Ex his igitur quae hucusque diximus patet, interdicta in mercatura, justoque majora portoria, permulta ac pergravia damna civitati afferre. 1) Nam quo pauciores merces extraneae importantur, eo pauciores merces nostrae vendi possunt. Interdic-

tum autem invehendorum fructuum alienorum, et interdictum fructuum nostrorum exportandorum, nihil differant. Exempla inter alios, apud *Boxhorn* et *Leuchs* (¹¹). 2) Mercatura mercium vetitarum, (*contrebande*), et mores in civitate depravabit, et magnum detrimentum probis mercatoribus afferet, qui portoria solvant. Exempla apud *Magnien*, *Brunner* et *Leuchs* (¹²). 3) Quo frequentiora interdicta, quoque majora portoria, eo plures inspectores ad mercaturam mercium vetitarum tollendam sunt necessarii (¹³), eo difficilior et incertior administratio portoriorum, nam „*quis*, ut nocte obseruat Kraus, ipsos custodes custodiet?“ 4) Per interdicta justoque majora portoria, redditus thesanri publici tum ob diminutam invectionem, tum ob auctam mercaturam clandestinam, maxime etiam minuetur. 5) Observavimus supra, civitates ditiores, pauperioribus civitatibus, *capitalia* sua sub forma mercium haud raro mutua dare. Mutuum hoc ad augendam in pauperioribus civitatibus industria tam necessarium, propter interdictum invectionem, vel omnino cessabit, vel difficilius fiet. 6) Officienae nostrae ab extranearum aemulatione liberatae, plane stimulo ad fabricationem magis magisque excolandam carebunt (¹⁴). 7) Propter interdicta justoque majora portoria, pretium omnium rerum in civitate augebitur, earum praesertim, ad quas consciendas merces vetitae necessariae sint. Tali modo *consumentes* omnia carius sibi comparare debent, damnumque hoc majori pretio mercium domesticarum, minime reparabitur; id enim ob majores

creationis impensas crescit. 8) Interdicta non naturale, ergo et detrimentosum labori ac *capitalibus* iter aperiunt. 9) Propter causas supra enucleatas, et numerus incolarum diminuetur, et progressus incrementumque industriae ac divitiarum in civitate cohibebitur; contra vero, libera mercatura beatitatem publicam maxime adauget. Cf. *Gamba* et *Hall*(¹⁵).

§. 52.

Sismondi contendit, *systema prohibitorium*, creatione artificiose aucta, id praecipue efficere, ut in civitate plus mercium creetur, quam quod consumi possit, utque supervacua haec mercium copia, ob defectum postulationis omnem perdat valorem. Hac enim sua primaria opinione innititur; creationem fructuum, postulatione praecedi debere. Quod si non fuerit, sed tantummodo ex nimia *capitalium* copia, vel perfectione, sive novis in fabricatione inventis orta sit, tunc non solum nullas creari divitias, sed etiam nimiis mercibus coacervatis, quae ob postulationis defectum vendi nequeant, maximum afferri damnum. Neque negari potest hanc nimiam alicujus speciei mercium copiam aliquando locum habere posse; tamen coacervatio haec omnino certo tantum loco comparet. Sed si generatim res perpendis, in rerum natura nil supervacuum esse potest, et hic vel illic postulatur. Si vero merces aliqua vendi non possunt, id non fit ob defectum postulationis, sed propterea, qnod merces istae vel ad locum postulationis ob interdicta aut alia impedimenta accedere nequeant, vel quod *pretium* earum

necessarium adeo auctum sit, ut omnem voluptatem a consumptione expectantiam superet, vel denique quod postulantes careant rebus ad merces has emendas. Haud raro tres istae causae vendendis mercibus simul sunt obstaculo. Praeterea, ut jam supra memoravimus, interdicta in mercatura, non solum creationem mercium non augent, sed quam maxime atterunt.

§. 53.

Aliquando etiam ob interdicta mercatoria, fabricae in civitate nasci possunt, sed fabricae hae indigenis tantummodo fructus suos vendere poterunt. Si enim fabro nostro, aemulatio exterorum domi noxia est; quanto magis in civitatibus extraneis noxia ei erit! Quantopere vero ephemerae istae fabricae, artificiosis modis adjutae, incertae ac fragiles sint, *Sismondi* multis exemplis optime illustravit (¹⁷).

§. 54.

Ubi portoria atque interdicta jam diu exstiterunt, ubi earum infausto omne fabricae natae sunt, ibi ipsa justitia monet, portoria haec atque interdicta non nisi gradatim abroganda esse. Qua in re, status oeconomici civitatis, rationis divitiarum inter diversos civium ordines distribuendarum, situs geographicci, naturae fabricationis, praesertim vero hujus rei, ubi civitas merces suas vendere, ubique sibi necessarias comparare possit, respectus potissimum habendus est. Inopinata enim porteriorum

atque interdictorum abolitio, subito extraneis ad aemulandum cum nostris admissis, fabricas nostras venditione fructuum suorum omnino privare potest; quo fieri, ut et *capitalia* ad fabricas illas constitutas adhibita plane perdantur, et ut operarii illarum fabricarum, vitae sustentandae ratio omnino admatur. Accidere etiam potest, ut temporaria portoria vel interdicta necessaria sint, non ad novas quidem fabricas provocandas, sed ad eas, quae jam prius floruere, ab inopinatis extraneorum studiis, (*concurrence*), tuendas, quum nempe officinae nostrae ab illa aemulatione, etsi non propter portoria aut interdicta, alias tamen ob causas, ut ob defectum communicationis, hucusque liberae fuerint. Temporaria etiam interdicta ac portoria, si rem oeconomiam respicias, noxia sunt, atque hunc tantum finem sibi assequendum proponere debent, ut fabri nostri abrogationis eorum in futurum subsequuturae non ignari, *capitalia* sua; operarii vero laborem suum ad aliud industriae genus magis lucrative transferre possint. Temporaria portoria atque interdicta semper malum sunt; sed *malum necessarium*, ad majus malum evitandum.

§. 55.

Etiam si secundum nostram opinionem nulla industriae species alteri praferenda est, non negamus tamen fabricas quae naturali via nascantur, divitiis augendis, et beatitudini publicae stabiliendae, potissimum auxilio esse; sed ejusmodi fabricae nullis indigent interdictis. Quomodo vero civitas agat,

quando sibi laborem et *capitalia* ad libitum regert et gubernare, et quo velit convertere liceat, utque diversos industriae gradus percurrens, postremo ad fabricas possidendas, mercaturamque cum extraneis exercendam certa via tendat, doctissime demonstravit *Storch* (¹⁸).

§. 56.

Jamque finem huic commentationi, hac prima ac dilectissima nobis sententia, toties in libello laudata facere libet: divitias et beatitudinem tam universarum civitatum, quam singularum, interdictis aliisque ejusmodi artificiosis rationibus, nequaquam adjuvari: imo communem generis humani incoluntatem, nisi ope atque auspiciis perfectissimae libertatis, in rebus sibi invicem suppeditandis, quae huic vel alii loco propriae sint, aut saltem melius et minore impendio hic potius quam alibi edantur, flore non posse.

N O T A E.

- 1) *Hegel*: *Naturrecht und Staatswissenschaft*. Vorrede S. 24.
- 2) *Heeren*: *Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmsten Völker der alten Welt*. 3te Ausg. *Götting*. 1815. III. B. *Reynier*: *de l'économie publique et rurale des Perses et des Phéniciens — des Arabes et des Juifs — des Egyptiens et des Carthaginois — des Grecs — Genève et Paris*. 1819 — 1825. 4. vol.
- 3) *Inter alios cf. praesertim Robertson in sua introductione in historiam Caroli V.*
- 4) *Videas tamen libellum Kaufmanni de falsa A. Smithii circa bilanciam mercatoriam theoria*. *Heidelb.* 1827.
- 5) *Praeter auctores qui a Carolo Henrico Rauio in opere suo: Lehrbuch der politischen Oeconomie. Heidelb.* 1828. 2. Bde. *tomo secundo §. 205. (in libro*

falso §. 260), in *nota e*, et §. 297 in *nota a* citantur, praesertim huc referendi sunt: *Storch*: cours d'économie politique *St. Petersbourg.* 1815. 6. vol. *J. B. Say*: cours complet d'économie politique pratique. *Paris.* 1828. 6. vol. *J. C. L. Simonde de Sismondi*: de la richesse commerciale. *Genève.* 1803. 2. vol; *ejusdem*: nouveaux principes d'économie politique. *Paris.* 1827. 2. vol. *Benjamin Constant*: commentaire sur l'ouvrage de Filiangieri. *Paris.* 1822 2. part. *Fr. Hr. Skarbek*: elementarne zasady gospodarstwa narodowego, oraz gospodarstwo narodowe zastosowane czyl nauka administracyi. *Warszawa.* 1820 — 1824. 4. tomy. *Julius Graf v. Soden*: Nationaloeconomie. *Leipzig.* 1805 — 1823. 9. vol. Huc refertur praesertim tomus VI. *Chr. J. Kraus*: Staatswirthschaft. *Königsberg.* 1808 — 1811. 5. Bde. Huc pertinet praesertim volumen V. quod etiam *angewandte Staatswirthschaft* inscribitur. *Carl Murhard*: Theorie und Politik des Handels. *Göttingen.* 1831. 2. Bde. *Malthus*: principles of political economy. *Lond.* 1820. 2. vol. *Dav. Ricardo*: principles of political economy and taxation. *Lond.* 1821. 2. vol. *Mill*: Elements of political economy. *Lond.* 1821. *R. Torrens*: an essay on the production of wealth. *Lond.* 1821.

6) Cf. *Skarbek*: gospodarstwo narodowe zastosowane, czyl nauka 'administracyi, tom. II. str. 371.

7) *Soden*: Nationaloeconomie. B. II. S. 190. 210. 215. *Lotz*: Revision der Grundbegriffe d. Nationalwirthschaftslehre. B. I. S. 500. *P. C. T. Daunou*: essai sur les garanties individuelles, que reclame l'état actuel de la société. *Paris.* 1819. Ch. II. *Murhard* I. c. B. II. S. 19 — 63. *Silvester Jordan*: Versuche über allg. Staats-

recht in systematischer Ordnung, und mit Bezugnahme auf Politik. *Marburg.* 1828. Abschnitt IX. von den Unterthanen. §. 9. *Freiheit des Erwerbes* S. 416 ff. *Krug:* Dikäopolitik. *Leipzig.* 1824. XIX. Abschnitt. S. 387 ff. *Aretin:* Staatsrecht der constitutionellen Monarchie, fortgesetzt durch *v. Rotteck.* *Altenburg.* 1827 — 1828. 3. Bände. B. II. Abschnitt VIII. *Staatshaushalt.* §. 6. von der *Handelsleitung* S. 289 — 290 und *Anm.* i. 8) *Hugo Grotius:* de jure belli et pacis lib. II. Cap. 2.

9) De his omnibus vid. *Johann Carl Leuchs:* Gewerb- und Handelsfreiheit 2. Ausg. *Nürnberg.* 1831. S. 90 — 191 und 324 — 354. *Murhard* l. c. B. II. S. 154 — 215. *Skarbek* l. c. tom. IV. Str. 231 — 265.

10) Cf. *Bender:* Grundsätze des engeren Handlungsrechts. *Darmstadt.* 1824. B. I. §§. 179 — 182 incl. *Leuchs* l. c. S. 317 — 323.

11) Cf. praesertim *Murhard* l. c. B. II. S. 271 — 425.

12) Ipse *Filangieri*, qui multas oeconomiae politicae quaestiones optime illustravit, hunc communem saeculi sui non effugit errorem Vid. *scienza della legislazione* lib. II. Cap. XVIII.

13) Cf. *Schmalz:* Handbuch der Staatswirtschaft. §. 179.

14) *Storch* l. c. vol. III. pag. 298.

15) *Edinburgh Review* N. LXIII. cf. *Murhard* l. c. pag. 35 et seqq.

16) Vid. tamen apud *Storch* l. c. t. III. pag. 283.

17) Cf. *Storch* l. c. liv. VI. chap. XII: comment les créances extérieures servent à solder la balance du commerce étranger. t. III. p. 281 — 299.

- 18) *J. C. L. Simonde de Sismondi*: de la rich.
comm. t. I. p. 219 sqq.
- 19) *Droz*: économie politique. *Paris*. 1828.
- 20) Cf. *J. B. Say*: cours d'écon. polit. prat. part.
IV. chap. XI. t. III. pag. 325.
- 21) *Seybert*: annales statistiques des états unis.
- 22) Ipse quidem *Necker*, etiamsi *bilanciae mercatoriae* sautor sit, confitetur tamen fieri fere non posse,
ut *bilancia recte aestimetur*. Vid. *Necker*: de l'administr.
des finances. t. III. Chap. III.
- 23) Exemplum apud *Murhard* l. c. t. I. pag. 240.
- 24) *Storch* l. c. t. III. pag. 286 — 289 et t. VI. nota
XII. *Bernoulli*: Schw. Archiv. *Sismondi*: de la rich.
commer. t. I. pag. 196. in nota. *Murhard* l. c. t. I.
pag. 241 — 242. *J. B. Say* l. c. t. III. pag. 333. sqq.
- 25) *Büsch*: vom Geldumlaufe B. II. S. 406.
- 26) *Ganahl*: diction. analit. de l'écon. polit. *Paris*.
1826. art. douanes.
- 27) *Chaptal*: industr. franç. part. IV. chap. 3.
- 28) Cf. *Skarbek* l. c. t. IV. pag. 206. et sqq.
- 29) Cf. *Soden* l. c. B. II. §. 225.
- 30) *J. B. Say*: cours comp. d'économie polit. prat.
IV. part. chap. XV. t. III. pag. 364. cf. *Benjamin Constant*: commentaire sur l'ouvrage de Filangieri part. II.
chap. IX.
- 31) *Storch* l. c. t. VI. not. V. pag. 52 — 41. cf. *Sir Francis d'Ivernois*: effets du blocus continental pag. 60.
et sqq.
- 32) *Blackstone*: comm. on the laws of England. vol.
IV. Cap. XII.
- 33) Bibliothèque britannique a. 1801.

- 34) *N. Palmieri*: Saggio sulle cause ed i remedii delle angustie dell' economia agraria di Sicilia. 1826.
- 35) *Leuchs* l. c. pag. 256 — 257.
- 36) Vid. *Sismondi*: nouv. princ. d'écon. polit., t. I. pag. 536 — 537 et 440. *Brunner*: was sind Mauth- und Zollaustalten der Nationalwohlfahrt, und dem Staatsinteresse? *Nürnberg*. 1816. pag. 43 sqq.
- 37) *Storch* l. c. t. IV. pag. 191.
- 38) *Ricardo* l. c. cap. VI.
- 39) Cf. *Murhard* l. c. t. II. pag. 51 — 69. *Leuchs* l. c. pag. 266. et sqq.
- 40) *Storch* l. c. t. IV. pag. 169.
- 41) Cf. *Crome*: über Ackerbau, Getraidehandel, Kornsperrn und Landmagazin. *Hildesheim*. 1808.
- 42) Exempla apud *Leuchs* l. c. pag. 274 — 275.
- 43) *Freiherr Gans*: System der Staatswirthschaft. *Leipzig*. 1826. pag. 42. *Kaufmann*: de falsa A. Smithii circa bilanciam mercatoriam theoria; pag. 5. et sqq.
- 44) *Rau*: Handb. d. polit. Oeconom. t. II. §. 210.
- 45) *Storch* l. c. t. IV. pag. 188 — 189.
- 46) l. c. pag. 190.
- 47) Cf. *Aretin* l. c. t. II. pag. 289 — 290. et nota 1. *Grävell*: Sicherheitspolizei. *Sondershausen*. 1820. *Nebenius*: das neue französ. Douanensystem, in seiner fortschreitenden Entwicklung. *Karlsruhe* und *Baden*. 1822. Ueber das Retorsionsprincip als Grundlage eines deutschen Handelssystems. *Leipzig*. 1820.
- 48) *Behr*: Lehre von der Wirtschaft des Staats. *Leipzig*. 1822. p. 150.
- 49) *Krug*: Dikäopolitik l. c.

- 50) *Murhard* I. c. t. II. pag. 41. et sqq. *Seutter*: d.
Besteuerung der Völker. I. Band. *Speier*. 1828.
- 51) *Boxhorn*: disquisitiones politicae. *Amstelod.*
1663. pag. 24. et sqq. *Leuchs* I. c.
- 52) *Magnien*: de l'influence que peuvent avoir les
douanes sur la prospérité de la France; pag. 32. et sqq.
Brunner: Was sind Mauth- und Zollanstalten etc. pag.
40. sqq. *Leuchs* I. c.
- 53) Cf. *Say*: cours d'écon. polit. prat. t. III. pag. 372.
- 54) Cf. *Chaptal*: essai sur les arts chimiques en
France; pag. 45.
- 55) *Gamba*: voyage en Russie méridionale; t. I. pag.
37. *Hall*: voyage au Chili, au Pérou, et au Mexique, en
1822.
- 56) *Sismondi*: nouv. princ. d'écon. polit. t. I. liv.
IV. chap. XI.
- 57) *Sismondi*: de la rich. commerç. t. II. p. 170 — 220.
- 58) *Storch*: cours d'économie politique liv. VIII: *des
progrès naturels de la richesse nationale* t. IV. pag.
157 — 358.
-

T H E S E S.

I. Multo plus ad disciplinam augendam conferunt, qui quaedam certa systemata servant et colunt; quam qui nulli eorum dediti, medium iter, (*juste milieu*), expiscari dum cupiunt, atque opiniones secum pugnantes conciliare, longe majores rei difficultates, ac dubitationes excitant.

II. Modum comparandi valoris rerum, diversis temporibus ac locis positarum, qui quaerunt, oleum et operam perdunt.

III. Sismondi et Sayi sententiae de ratione, quae inter *creationem* et *consumptionem* intercedat, secum non pugnant.

IV. Divitias alicuius civitatis, valor rerum in utilitate earum, (*valeur utile*), potius quam in permutatione earum, (*valeur échangeable*), positus, constituit.

V. Aes alienum, quod civitas quaedam publice contraxerit, tanto minus molestum est, quanto minor usura, quamquam nomine

quidem, aes hoc alienum, diminutae usurae causa, auctum sit.

VI. Jus gentium positivum, ab iure naturali non multum differt.

VII. Demetrius, quamquam impostor, tamen non Hryschka' Otrepiew.

VIII. Leges quae Uloschenie Tsaris Alexidis Michaelidae dicuntur, multis rebus statuti lithuanici ope, ex jure romano auctae sunt.

IX. Civium aequalitas, non juribus paribus, sed legibus quibus pareat quisque, cernitur.

X. Criminq; contra rem divinam, non quia Deo, sed quia legibus contraria sunt, puniuntur.

XI. In determinandis poenis, status et conditionis reorum, ratio omnino habenda est.
